



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Chronologia Monasteriorum Germaniæ Præcipuorum Ac
Maxime Illustrium**

Brusch, Kaspar

Nürnberg, 1682

Edelstetum, ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-38166

Albertum fratres. In his omnibus colligendis juvit me ejusdem loci coeconomus, aut, ut ipsi vocant, subburarius, venerabilis ac humanissimus vir, Dominus Wolfgangus Hetschuchius, in cuius gratiam (sumta de ejus nomine ac officio occasione) tale lusi schediasma de S. Wolfgangi Episcopi imagine.

*S. Wolffgangi I-
mago,
quid si-
gnificer.*

*Boni Epi-
scopi offi-
cium.*

*Wolfgangum quoties Diuum veneranda vetustas
Pinxit, ita hunc pinxit, gestaret ut ipse securim
Dextra, sed laeva templum cum turre decorum.
Hac pictura equidem voluit nibil ipsa vetustas
Significare aliud, quam quod pastoris honesti
Pontificisq; pii summum est super omnia munus.*

*Is semper templum debet gestare sibi,
Commissum populum doctrina passere sana,
Nec curas alias animo gestare priores.
Deinde securi etiam sordes rafecare pudendas,
Quicquid Arboribus teneris plantisq; nocere
In vita posset, studio debebit eodem.*

*Nomen id ergo tuum merito, Wolfgangi tenebis,
Si (quod te nomen monet) hoc facies quoq; cura
Atq; pari studio, pietate fideq; perenni,
Ut facis, oeconomici tibi dum cura incubat ingens,
Noctes atq; dies dum pro vidus omnia recte
Ac summo studio facis, ut divina coruscent
Ipsam ministeria egregia: virtusq; superstis
Omnibus ad votum, quos hic habitare Deorum
Rex voluit, quosq; huc contingit sepe venire.
Faxit Olympiacus pater, ut feliciter isti
Atq; diu praes domuiq; larig; perenni.*

EDELSTETUM, quartus nobilis locus vel nobilium puella-
Erum locus, aut, ut in quibusdam Vetustis chartis legi, Orlin-
stetum, Canonissarum liberarum & ab omni professione ac re-
guli immunium, in Suevia pulcherrimum collegium, Ursper-
gensi coenobio vicinum, medio ferè itinere inter Augstam &
Ulman, Sueviae urbes, in quo omnibus virginibus liberum est
egredi

egredi vicissim ac nubere, soli vero Abbatissæ propter benedictionem, ut ajunt, integrum non est. Fundatum & liberalissime donatum est anno Christi 1126. à Domina Gisela, Wernheri, Comitis de Schwabegk & Baltzhusen, fundatoris Urspergensis germana sorore, quæ apud Laugingiacum etiam Xenodochii & domus vestigalis fundatrix ac ædificatrix fuisse celebratur. Ejus illustrissimiloci Abbatissarum hic reperitur adhuc catalogus.

*Abbatis-
sarum
succes-
sio.*

1. *D. Gisela*, fundatrix & prima ejus loci Abbatissa, Comitissa de Schwabek & Baltzhusen, Edelstettihonorifice sepulta.
2. *D. Mechtildis*, Comitissa de Andechs, Bavara, soror S. Othonis, Episcopi Babenbergenonis II^X. Pomeranorum Apostoli, in Damasiano apud Bavarios monasterio sepulta, quod olim utriusq; sexus cœnobium erat magnificentissimum.

3. *D. Agnes.*

4. *D. Ita.*

5. *D. Sophia Baunwolfina.*

6. *D. Agnes Fuchshartina.*

7. *D. Margareta* à Rodt, cognominata Nachreisin, bis *Fæmina*, mortua, semel involuta & in templum portata, ut sepeliretur, bis morib; cum caneretur psalterium, revixit, & postea Abbatissa facta *tua*.

diu præfuit.

8. *D. Guta* à Gerenberg præfuit annis 63. Obiit anno 1320.

9. *D. Anna* à Weyssingen, patre Hermanno, matre vero Agnete nata, ædificatrix templi, anno Domini 1357. præfuit 43. annis. Obiit anno 1363.

10. *D. Anna*, à Roterstein, præfuit 10. annis. Valedixit huic mortali vitæ anno 1372.

11. *D. Agnes* à Schwenningen, patre Joanne, matre Ursula nata, præfuit annis novem & septimanis 18. laudabiliter. Obiit in Augusto anni 1481.

12. *D. Christina* à Truchelfingen, antea canonissa in Büchow, postea Abbatissa in Edelstetten: sed quandiu ibi præfuit, non invenio.

13. *D. Margareta* Schwinckreistina, patre Conrado, matre vero Catharina de Monte nata, præfuit quidem, sed non diu.

X

14. *D. Eli-*

166ij

CHRONOLOGI
COMESTERIO
DE GERMANIA

S. III

14. *D. Elisabeta*, ab Heimhofen, patre Joanne nata, præfuit annis 34. Obiit anno Christi 1514. in vigilia inventæ Crucis.

15. *D. Beatrix*, à Waldkirch, Bernhardi à Waldkirch & Ursule à Schaumberg filia, præfuit 28. annis. Obiit anno Domini 1542. nona Junii.

16. *D. Regina* à Rorbach, Wolfgangi à Rorbach & Dorotheæ à Wildenwart laudatissima filia, insignis heroina, corporis & ingenii bonis præstantissima, eligitur anno Domini 1542. in vigilia S. Viti. Præest adhuc egregia laude ac virtute, currente hoc Jubilæo. Condidit egregiam domum, quam tali à me trasticho ornari voluit?

*Hæc Regina novas à Rorbach condidit edes,
Anno, quo Paulus tertius occubuit.
Condidit has pro se laudabilis illa virago,
Prosequitur a posteritate sua.*

Habent in hoc ipso cœnobio reconditoria sua Nobiles à Schwenningen in coemiterio, & Nobiles à Wifembach in templo primario, imprimis vero Hildebrandus à Wifembach, miles & Eques auratus, qui obiit anno Domini 1389. cuius uxor eodem loco sepulta est, Dominæ Guta de Baisweil.

● ● ●

EICHENBRUNNUM, *Eichenbrunn* quasi Fons ad querco situs, dictum cœnobium Benedictini ordinis magnificum in Suevia, extra muros Gundelfingiacensis oppidi, inter Dantibium ac Brentium amnes situm, diceceos Augustanæ, fundatum & extructum est in honorem S. Dei Apostolorum Petri & Pauli à Gumberto patre & Chunone filio, Dominis de Fachberg, sub Calisto II. Pont. Max. à quo fundatio hæc confirmata est anno Domini 1122. præsidente Godeboldo Abate. De hac fundatione legitur ibi tale schediasma in templo, à me superioribus annis scriptum in gratiam Abbatis Martini Bucolini.

*Gumbertus, miles generosus, frater & ejus
Chuno pius, sacram hanc constituere domum.
Cujus Chuno Abbas primus fuit, optimus heros,
Militia & generis nobilitate potens.*